

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

PRINCIPI FERDINANDO

ROMANORVM, PANNONIAE,

ET BOHEMIAE, ETC. REGI,

INFANTI HISPANIARVM, ARCHIDVCI

AVSTRIAE, DVCI BVRGVNDIAE, ETC.

Comiti Tyrolis &c. Domino suo
clementissimo,



VM vniuersam medicinam non modò vetustif-
simi quique scriptores, Serenissime Rex FERDI-
NANDE, sed recentiorum quoque plerique Dijs
immortalibus acceptam referant, eamque ob id nō
immeritò scientiam antiquissimam, celeberrimam,
& diuinam existiment: tum eam præcipuè illius
partem, quæ medicamentorum doctrinam pertra-
ctat, dignam esse censent, quæ Dijs ipsis accepta re-
feratur, & planè diuina habeatur. Non enim fieri posse putant, ut homo ip-
se per se abditas stirpium, aut animalium, aut fossilium naturas facultates-
que inuestiget, adipiscatur, & perspectas habeat, nisi eas primùm à maximo
omnium rerum opifice fuerit edoctus. Quamobrem non desunt probatissi-
mi authores, qui reiectis nugis poëtarum, & aliorum, qui fabulosè de me-
dicinæ inuentoribus scripserunt, certò credunt, ac rationibus comprobant,
Deum opt. max. plantarum & reliquarum rerum omnium, quas terra pro-
creat, facultates Adæ primo humani generis propagatori indicasse, eique il-
larum cognitionem infudisse, simulatque illi è terra cōformato, vitæ lumen
inspirauit. A quo subsecutam ætatem uolunt, rerum omnium notitiam hau-
sisse, ac subinde, industria adaucta, res altius diligentiusque exquirere cœ-
pisse: ita vt hinc primùm rei medicæ plurimum cognitionis ac ornamenti
accefferit. Quod cùm postea animaduertissent innumeri sapientes uiri, no-
uissentque maximam esse huiusce facultatis præstantiam atque vtilitatem,
eius voluptate capti, ipsi etiam rei herbariæ, & cæteris, de quibus illa tra-
ctat, inuestigandis ac cognoscendis studium impenderunt. Id quod abun-
de testantur Pythagoras, Aristoteles, Theophrastus, Democritus, Zoroa-
stres, Xenophon, Amphilocho, Athenæus, Philisthenes, Apollodorus,
Aristander, Hipparchus, Aristomachus, Bion, Agathocles, Diodorus, Dio-
cles, Carystius, Epigenes, Euagoras, Praxagoras, Crateuas, Erasistratus,
Metrodorus, Nicelius, Pamphilius, Mantias, Herophilus, Hippocrates,
Dioscorides, Galenus, Plinius, & alij antiquorum plurimi, quorum nomi-

Epistola

na, ne longior sim, quàm deceat, consultò prætereo. Ii siquidem nobilitate ac iucunditate huius scientiæ ducti, studio item posteritatis iuuandæ, & perpetuæ sibi conciliandæ famæ, non dubitarunt varijs sese uitæ periculis committere, dum permultas ignotas peragrarent regiones, ut ueram legitimamque simplicium medicamentorum cognitionem consequerentur. Porro quòd plantarum peritia, aut inuentio, præter eam quam maximam secum adfert voluptatem & utilitatem, gloriam quoque & laudem pariat sempiternam, nouerunt non tantum vniuersi orbis sapientes, diligentissimi rerum indagatores, sed summi etiam ac potentissimi reges. Quippe illorum claritatem, quæ hinc potissimum ortum habuerat, admirati, rati in hac antiquissima facultate summum splendorem, singularemque præstantiam esse, tantum otij ac studij ad eam percipiendam, & illustrandam contulerunt, ut eorum plerique de plantarum historia & viribus libros condiderint. Nonnulli generosa antidota composuerunt, ut ita suæ, & aliorum mortalium uitæ usuique consulerent. Alij etsi ex rebus consilio & armis præclarè gestis se illustres reddidissent, cum tamen illustriores effici se posse cernerent, si clarissimam stirpium facultatem ipsi quoque suo essent studio prosecuti, è remotissimis terrarum regionibus raras nobilesque plantas ingenti pecunia conquisitas, ad se transferri curarunt, ut certam ac ueram earum historiam describerent. Neque illud certè hos latuit, quòd si hac in re studiosè diutius uersati, egregium quicquam inuenissent, aut scriptis tradidissent, suum nomen esset nullis non seculis celebre duraturum. quãdoquidem herbæ, quæ singulis annis reuiuiscunt, repullulant, & reuirescunt, eos perpetuò in hominum memoriam reuocant, qui illas inuenerunt, uel de ipsarum historia & viribus aliquid posteritatis memoriæ prodiderunt. Qua in re eos minimè deceptos comperimus. nam satis persuasum est omnibus, Gentianam herbam à Gentio Illyriorum rege inuentam, ab eo quidem appellationem mutuatam esse, illi verò claritatem, & immortalitatem retribuisse. Similiter Lysimachia (ut Plinius est author) Lysimachum Macedoniæ regem, qui eam inuenit & nominauit, perpetuis laudibus celebrat. Scordium item, Mithridatem magnum illum Ponti regem, à quo Mithridatiæ herbæ nomen accepit: quin & Eupatorium, eundem Eupatorem cognominatum, à quo herbam hanc inuentam & dictam esse uolunt, nominis aternitati commendant. Clymenos præterea herba Clymeno regi inuentori suo, Euphorbium Iubæ Mauritanorum, Telephium Telepho Mysiæ regibus, Echium & Anchusa Alcibiadi Atheniensium duci, famam largiuntur aternam. Hinc etiam clarent, Attalus Pergami, & Euax Arabum reges. siquidem hic de simplicium medicamentorum viribus ad Neronem Imperatorem multa conscripsit: ille uerò, dum plura (ut Galenus perhibet) aduersus uenena, & animalium uirus eiaculantium ictus conficeret antidota, plurimum laboris insumpsit, ut legitimas plantas nancisceretur. His accedunt Archelaus Cappadociæ, Masinissa Numidiæ, Agamemnon Argiuorum reges, quorum nomina nulla uetustate extinguì poterunt, ob eam quam in cognoscendis prodendisque stirpibus

Nuncupatoria.

stirpibus curam ac diligentiam adhibuerunt. Omittam Philometora, Hieronem, & alios plurimos magni nominis reges, ne uerbosius, quàm oporteat, rem hanc prosequi uidear, qui uel ipsi ex hoc immortalem gloriam retulerunt, quòd rei plantariæ studiosi extiterint, in eaque de posteris præclare sint meriti. Sunt etiánum poëtae quàm plurimi, in quorum poematibus Sole clarius lucet, rem herbariam & antiquam fuisse, & semper laudibus decantatam. qua in re & ipsi nedum insigne, sed etiam perpetuum nomen sibi conciliarunt. Ex Græcis quidem produntur Orpheus, Musæus, Hesiodus, Homerus, Alcaeus, Rufus Ephesius, quem testatur Galenus, libros quinque de herbis, uersibus scripsisse. ex Latinis autem sunt Vergilius, Ouidius, & Aemilius Macer, qui plura de plantis notatu digna, & nunquam interitura, carminibus cecinerunt. Herbarum gloriam mulieres quoque affectasse, & affectas esse, ut quæ multum curæ ac studiij earum uiribus inuestigandis impederint, non modò poëtae, sed etiam historici tradunt. Etenim ob id Circen, à qua Circæa herba dicta est, poëtae Solis filiam fuisse fabulantur. Sed hæc re uera eam demum exquisitam herbarum notitiam adepta est, ut non temerè ob eius admirabilia facta illis seculis diuina potius, quàm humana sit habitata. Talis quoque Medea fuit, quæ tantam herbarum notitiam habuit, ut cum compositis ex ijs medicamentis, pluribus senectutem retardasset, Aesonem poëtae finxerunt ultimo affectum senio, ab hac iuuentuti fuisse restitutum. Helena ad hæc Helenio herbæ, quam primùm, ut quidam uolunt, seuit, suū nomen impertita est: atque ideo in ea nunc etiam nominatissima uiuit. Artemisia uerò Mausoli Cariæ regis uxor, alioquin præclari nominis mulier, vel ex hoc memorabilis & immortalis reddita est, quòd suum nomen herbæ inditum reliquerit. Illud insuper satis esse posset, ut quenque ad plantarum cognitionem capeffendam inuitaret, quòd hæc tātum in se utilitatis habeat, ut etiam animalia ipsa, natura docta plurimarum herbarum uires cognoscāt, easque mortalibus indicarint. Quandoquidem cerui dictamnū herbam, quòd vulnerati, eius pastu telum eiecissent, sagittarum vulneribus mederi ostenderunt. Item ceruæ seseli herbam demonstrarunt: testudines cunilam, mustelæ rutam, accipitres hieracium, columbæ verbenacam, hirundines chelidonium, ciconiæ origanum, & alia denique animalia alias innumeras herbas inuenere ac mōstrauere. Quocirca si ad prædicta mentem animūque homines conuerterent, si medicæ materiæ primordia spectarent, utpote cum plantæ suis diuinis præditæ viribus, statim ab elementis conditis, è terra emerferint, nullum mihi dubium est, quin omnes faterentur, hanc facultatem antiquitate, nobilitate, & diuinitate cæteras antecellere. Neque ob id solum illi tantum laudis, admirationis, ac gloriæ debetur, quòd eius cognitio iucunda & ælectabilis sit, sed etiam quia utilis ac necessaria existit. Ea nanque sanitatem (qua nihil homini exoptatius esse potest) tuetur, varia innumeraque morborum genera fugat, ferarum virus euincit, & venenorum vim demolitur. quinetiam homines in vita diutius seruat, & sæpe deploratos, quorum scilicet salutis nulla spes reliqua est, ad uitam reuocat. Quod

Epistola

cum rectè quidem aestimassent Romanorum imperatorum nonnulli (vt libro primo de antidotis testis est Galenus) etsi in republica administranda , & prouincijs gubernandis ac tutandis plurimùm essent occupati , eos tamen non mediocre studium tenuit colendæ atque illustrandæ rei herbariæ . Quippe vt legitimas plantas consequerentur , vtquæ veris aromatibus potirentur , in multis ac longinquis regionibus herbarios magnis sumptibus alebant , muneribusque donabant : hac præterea animi inductione , vtinde non minus gloriæ quàm vtilitatis referrent , quòd ita quoque studerent mortalitatem beneficio demereri . Sanè memorabili suorum maiorum exemplo ducebantur , qui non solum exuias regum , quos in bello vicerant , trophæis dicatas , in triumphis portare , ipsosque reges victos ante se ducere solebant , sed etiam peregrinas plântas , & generosa aromata , quibus raræ præclaræque doctes inerant , in eisdem magno cum honore ferebant . Nec putabant ij , se minorem laudem ac gloriam adeptos esse ex plantis illis , quas postea diligenter suis in hortis ferebant , itémque ex aromatibus , quæ inter sua alia pretiosa reponebant , in suum & aliorum commodum , quàm ex trophæis , simulacris , & arcubus , quæ omnia erigi curabat senatus populûsque Romanus in perpetuam rerum gestarum memoriam , & eorum gratiam , qui se tali laude dignos exhibuerât . Magno etiam apud Romanos honore habiti sunt ij , qui de plantarum historia & viribus scripserunt , inque hac facultate claruerunt . Argumento satis manifesto , quòd expugnata Carthagine , omnes bibliothecas , quas inuenerant , varijs regibus ac principibus donauerint , præter duo & triginta volumina de re herbaria & agricultura tantum , à Magone Pœno scripta , quæ Romam attulerunt , & vt in Latinam linguam verterentur , mandarunt : tantam nimirum solus cum Romanis iniit gratiam Mago ille rei herbariæ , & agriculturæ peritus . Verùm enimvero etsi medica materia nullis olim non seculis celebris , nec solum tractata , sed etiam exulta fuerit , accidit tamen vel regnorum euerfionibus , vel seditionibus , & bellis tum ciuilibus , tum externis , vel grassantis pestilentiaæ sæuitia , vel medicorum qui nos præcellerunt incuria , vt tam præclara diuinæque facultas superiori nostro seculo obsoleta , intentata , & inculta iacuerit , adeò vt perpauci reperirentur medici , qui alias ferè plantas , quàm olera , quorum frequens est in cibis vsus , cognoscerent . Qua quidem re animaduersa , complures ætatis nostræ clarissimi viri , & rei medicæ diligentissimi indagatores , Latini & Græci sermonis peritissimi , Hermolaus Barbarus , Nicolaus Leonicensis , Ioannes Manardus , Ioannes Ruellius , Marcellus Vergilius , Leonhartus Fuchsius apud Germanos claræ eruditionis medicus , Antonius Musa in academia Ferrariensi doctrina celebris , Otho Brunfelsius , Iacobus Syluius , Aloysius Mundella , & alij , strenuam nauarunt operam , vt discussa superioris seculi caligine , medicam materiam è tenebris eriperent , & suæ luci restituerent . Quos equidem eo quo potui maiori studio , atque industria secutus , cum multis iam annis animaduertissem in vniuersis Italiae pharmacopolijs cum à seplasiarijs ipsis , tum maximè à medicis huius facultatis ignaris , quàm plurimos

Nuncupatoria.

plurimos errores, eosque graues & detestandos, committi in humanæ vitæ discrimen, ac sæpe in eiûdem perniciem, vt illorum errores tollerentur, habita nostrorum pharmacopœorum ratione, quorum pauci satis Latine sciunt, Dioscoridem Anazarbeum & Græcum, & antiquissimum scriptorem, ac in simplicium medicamentorum historia & viribus reddendis facile principem, in Italicam linguam vertendum, & Italicis item commentarijs, vt possem, illustrandum suscepi. In quos vtique, quantum ingenio, quantum labore ac cura, quantum denique iudicio consequi potui, contuli, vt legitimas quas puto plantas proderem, meamque similiter de cæteris simplicibus medicamentis proferrem sententiam. Qua in re coacti fuimus non modò seplasiariorum, & medicorum superioris ætatis, qui hanc medicinæ partem neglexisse videntur, errata passim explodere, sed recentiorum quoque, qui tamen materiam hanc diligentissimè tractarunt, opiniones sæpè numero refellere. Nec certè mirum, quòd viri alioqui doctissimi, & summa laude digni impegerint, lapsique fuerint, vel in tanto rerum discrimine vacillantes, vel interdum humana caligine cæcutientes. quod quidem & nobis aliquando accidisse hoc opere non dubitamus. Porro plantarum & animalium historiam latè, quantum res postulare visa est, complexus sum. In viribus autem recensendis, eas cuique plantæ ex Galeno in fine reddidi, eoque ferè semper contentus fui, nisi quando quid ipse prætermisit. Præterea cum plura sint plantarum, aromatum, & aliorum simplicium medicamentorum genera, quæ frequentem in medicina vsum obtinent, partim à Mauritanis, partim ab alijs qui per singulas ætates claruerunt, inuenta, de quibus nusquam, quod extet, meminerunt Dioscorides, Galenus, aliique veterum Græcorum authores, ea omnia nostris commentarijs inseruimus, ipsorumque historiam & vires, ea qua potuimus diligentia, descripsimus. Hoc opus vbi ad vmbilicum perduxissem, vel amicorum hortatu edidi, eo in primis animo, vt aliqua ex parte industria mea hominum vitæ prodessem, deque ea bene meritis existimarer. Affectus hoc sim necne, nostrum non est ferre iudicium. Nisi temerè fortasse à nobis dictum videretur, illud certè testari possem, me ex eo coniecisse non ingratum opus Italis, neque inutile fuisse, quòd paucis post annis tertio, & quarto, & quinto (ni fallor) fuerit excusum & venditum. Adderemque non vulgare de eo doctorum virorum iudicium, ex quo etiam cognoui, me non oleum nec operam planè luisse. Id profectò me mouere debebat, vt si quid de exteris quoque gentibus promereri possem, tentarem, ne viderer in hoc Italis solis natus. Sed illud præterea huc accessit, quòd ex illis etiam aliquos nostris commentarijs, quauis Italicè conscriptis, delectatos esse, ex iisque fructum aliquem cepisse intellexerim. Cuius rei illud mihi satis manifesto indicio fuit, quòd ex recentioribus tam Germanis, quàm Gallis scriptoribus inuenerim, quibus placuit nostras qualescunque sententias interpretari, suisque scriptis interfere-re, neque eas tantum nobis ingenuè acceptas referre, sed de nobis etiam (quæ eorum fuit humanitas) admodum honorificè loqui. Quorum erga nos vo-

luntatem

Epistola

luntatem vt augerem , & studium omnium externorum si possem adiuuarē, vtque illis gratiam aliquam rependerem, & cum alijs omnibus inirem, nulla mihi commodior ratio visa est, quàm vt Italicos nostros cōmentarios in Latinam linguam trāsferrem. Hos itaque quàm primum potui, Latinos feci, in quibus tamen plura mutauī (quod maxima rei difficultas tulit) plura auxi, & omnia quodammodo illustraui. Adiecimus insuper quàm plurimas plantarum & animalium imagines, quàm fieri potuit diligentius, ad naturæ imitationem expressas, magnis cū laboribus, tum sumptibus: non alia mehercle ratione, quàm vt ijs, qui terras peragrarē non possunt, nec præceptores habent, quasi hortulum exhiberemus, in quo omni tempore, nullo cultu adhibito, viuas ferè stirpium effigies spectarent. Enimuero, Serenissime Rex FERDINANDE, tanto semper cognoscendæ materiæ medicæ, & iuuandæ posteritatis desiderio exarsī, vt facilè impulsus sim per varias ire solitudines, loca tum amoena, tum horrida perlustrare, & abditas terræ fibras scrutari, vt res ipsas oculata fide cognoscerem. quas modò vel cum vitæ meæ periculo in præruptis montium locis quæsiui, modò in densis & asperis syluis, modò in conuallibus opacis, modò in collibus apricis, nūc in paludibus & lacubus, nunc in fontium & fluminū ripis, nunc in litoribus maris, aliās in campestribus, aruis, pratis, & vinetis, aliās in clarissimarum vrbiū viridarijs, aliās in ruderibus & collapsis ædificijs, aliās in speluncis & lōgis terræ meatibus, aliās in subterraneis metallorum fodinis, & eorum fornacibus. Ex quibus sanè locis plura mecum detuli simplicia medicamenta, quæ ab adulterinis, quorum est in officinis vsus, maximè distant. Nec me certè labores aut pericula deterruissent à magnis longisque itineribus, quòd Galeni exemplo mare traiecissem, & Cyprum, Cretam, Lemnum, Syriam, Aegyptum, aliāsque regiones peragrassem, vt multa præclara simplicia, quæ hodie desiderantur, essem consecutus, ad mortalium cognitionem & vsū transferenda, nisi meæ animi propensione oblitissent negotia domestica, ægros curandi pietas, & corporis imbecilla satis constitutio, quæ me quidē maris & longæ peragrations incommoda ferre non diu permisisset. His tamen nostris secundis conatibus magnam opem tulerunt (nec enim me pudet verū apertè fateri) nōnulli huius ætatis medici clarissimi, & rei herbariæ peritissimi, quorum alij plantarum misissione, alij consilio, alij rerum inuentarum cōmunicatione, mihi multum profuerunt. Inter quos potissimum non grauaret hoc loco cōmemorare, si possem illis ex beneficij accepti commemoratione aliquam referre gratiam, Lucam Ghinum Forocorneliensem medicum ingenij & doctrinæ singularis, Pisī magna cum omnium laude rem herbariam profitentem: item Gabrielem Falloppium Mutinensem, medicū eruditione & experientia clarum, qui Patauī honoratissimè humani corporis fabricam pariter & materiam medicam profitetur: necnon Andream à Lacuna Secobiensem medicū præstantissimum: præterea Bartholomæum à Maranta Apulum medicum apprime eruditum: Vlyssē quoque Aldrouandum Bononiensem honestissimi generis, probatæ doctrinæ, & magnæ expectationis medicum. Quibus omnibus eò

Nuncupatoria.

bus eò magis me deuinctū esse intelligo, quòd ij pro sua tantū humanitate ac liberalitate, me, quem non nouerunt nec viderunt vnquam, amore & officio prosequantur: nisi fortè eorum in nos beneuolentia ex eo orta sit, quòd iam aliquam de nobis conceperint opinionem ex nostris Italicis commentarijs. Non defuerunt etiam amicitia & affinitate nobis coniuncti, quorum studio ac diligentia, mihi licuit hoc tēpore non aliter peragranti, ex diuersis locis plures plantas consequi, earūque picturas edere. Sed praesertim in hoc pro nobis assiduam nauauit operam Io. Odoricus Melchiorius Tridentinus medicus spectatae eruditionis, & magnae spei iuuenis, qui me in patris locum semper habuit. sanè is tum Patauio, tum Venetijs complures stirpes nō vulgares ad nos perferri curauit. Potuissē equidem haec omnia dissimulare, & mihi soli vniuersam laudem vendicare. sed absit omnis inanis gloriae cupiditas. Etenim benignum est (vt Plinius in epistola ad Vespasianum scitè inquit) & plenum ingenui pudoris, fateri per quos proficimus. Ceterū quandoquidem Dioscorides non modò quinque libris tradidit vniuersam medicam materiam, quae plantis, animalibus, & metallicis comprehenditur, sed his etiam sextum attexuit, in quo ad mortalis generis vsum de antidotis disseruit, quibus venena omnia arcentur, ac omnium venenosorum animalium morsus ictusque curantur, ideo nos ipsum secuti in hunc quoque cōmentarios scripsimus, in quos plura regeſsimus, quae vitae hominum profutura speramus. Nam praeterquàm quòd improborum veneficorum insidijs pateāt cū vniuersum genus humanum, tum maximè reges ac principes, nō defunt etiam innumera animalium genera, quae morſu vel ictu homines ex tēpore interimunt. Quippe scorpiones, stelliones, phalangia nostris in domibus viuunt oberrantque, quae animalia cū nullam habeant personarum aut locorum rationem, vbique sese recipiunt, & latebras nidósque parant. quo fit, vt interdum ab hominibus inscientibus molestata, ictu venenum inferant, & ictos in perniciem agant. Latent praeterea modò in hortis & viridarijs, modò in vinetis, modò in pratis, alijsque in locis inter flores & herbas, aspides, viperæ, & alia venenosa reptilia, quae vel si tantillum quidem pede premātur, aut excitentur, illico exitiosum vulnus infligunt: ex quo statim, vel paulò post icti commoriuntur, nisi quàm primū antidotis succurrantur. Est & canis, qui etsi homini familiarissimus sit, tamen cū in rabiem agitur, quos morderit, in horrendum mortis genus plerunque deducit. Quòd cū diligenter examinassent rectèque expendissent complures veterum sapientum, quorum superius meminimus, plantarum, aromatum, & aliorum quoruncunque simplicium medicamentorum vires altius perſcrutati, varia aduersus venena & virulentorum animalium morsus antidota cōposuerunt. Quorum vestigia secutus Mithridates magnus ille Ponti & diuersarum gentium rex, cuius etiam antè mentionem fecimus, cū non magnam satis sibi gloriam ex eo comparasse iudicasset, quòd mortalium solus (vt tradit Plinius) duabus & viginti linguis loqueretur, adeò vt de subiectis gentibus nullū hominem per interpretem compellaret, nec quòd plurimis potitus esset victorijs,

Epistola

rijs, ad maiorem adhuc immortalēque suam gloriam medicinæ peculiari-
ter curiosus fuit, & rei herbariæ percipiendæ maximum studium impendit.
Quorum vtrunque planè affecutus videtur: nam ex herbarum cognitione
antidoti genera inuenit, ex quibus vnum composuit, quod nomen etiam e-
ius retinet, & suum authorem famæ immortalitati consacrat. Huius antido-
ti vsu adeò corpus suum rex ille firmauerat, tutumque à venenis reddiderat,
vt cum ipse vitam finire mallet, quàm Romanorum seruitutē pati, id sapius
fertur frustra veneno tentasse. Mithridatem imitatus est Andromachus do-
ctissimus pariter & elegāttissimus Neronis imperatoris medicus. Is siquidem
theriaces compositionem inuenit, quæ, Galeni testimonio, à venenis serua-
uit non solum plurimos Romanorum imperatores, ac innumeros principes,
sed & alios quosque, qui eam opportunè sumpserunt. quapropter Galeni
tempore, ab ipso magnificè ac splendidè, ita iubentibus imperatoribus, hæc
parabatur antidotus. Prateribo Attalum Pergami regem, de quo etiā à no-
bis antè dictum est, quem quoniam idem studium tenuit antidota conficien-
di, ideo is ab ipso Galeno maximis laudibus celebratur. Veruntamen nostra
hæc ætas ex horum antidotorum vsu non eum fructum neque vtilitatem ca-
pit sentitque, quam sensit antiquitas. Nam etsi eorum nomina monumentis
tradita habeamus, atque etiam antidota ipsa in seplasiariorum officinis para-
ta reperiuntur, non eos tamen effectus virēsque hæc præstant, quas suis no-
minibus pollicentur, quāsque illa præstare veteres memoriæ prodiderunt.
Cuius discriminis illud nimirum in causā est, quòd plura à nobis desiderētur
generosa & pretiosa aromata, quæ legitima ac omnium præstantissima suis
antidotis immiscebant Mithridates, Attalus, Andromachus, Galenus, & alij
complures veterum: quæquē ingenti pecunia, summo studio ac labore, ab
Arabum, Aethiopum, Troglodytarum, aliarumque diuersarum gentiū re-
gionibus, illius florentissimæ ætatis imperatores Romam adferri curabant.
Vbi tamen nemini, præterquàm medicis imperatorijs (quod fatetur Gale-
nus) licebat veram ac legitimam theriacen conficere: nisi quis fortè poten-
tiorum fauore, ab Imperatoribus esset ijs præclaris donatus aromatibus. Id
quod maximè facit, ne miremur, si theriace nostri vsus, itémque antidotus
Mithridatica non perinde pollent viribus, atque earum nomina promittūt,
& veterum scripta testantur. At certè in hoc satis infelicitè actum esse con-
stat cum vita hominis, vtpote quæ iacturam fecerit maximorum remedio-
rum aduersus venena, aliāque grauissima incommoda, quibus obnoxia est,
ac sæpe affligitur. Quamobrem hac nostra ætate, in qua quidem reliqua fe-
rè omnia in pristinum candorem reduci, & suæ integritati restitui videntur,
gloriosus & verè fortunatissimus dici posset summus ille Pontifex, inuictis-
simus ille Imperator, serenissimus ille Rex, magnanimus ille Princeps, sa-
pientissimus ille cuiuscunque reipub. Senatus, qui proprijs animi dotibus
Romanos illos imperatores, & alios potentissimos reges imitatus, nullis fi-
neret se vel sumptibus, vel laboribus grauari, sed omne studium, omnem
operam, omnem denique suam facultatem adhiberet, vt iamdudum deper-
dita

Nuncupatoria.

data aromata, quæ omnino nobis defunt ad antidota conficienda, in lucem reuocarentur. Enimvero si horum aliquis id faceret, vel si omnes idem facere contenderent, non suæ tantum & aliorum mortalium vitæ confulerent, deque posteris præclare mererentur, sed præterea hinc famam assequerentur æternam. siquidem beneficium id posteris summa cum laude proprijs authoribus perpetuò acceptum referrent. Equidem si id mihi non licuit, id saltem quod potui, omni studio industriæque mea præstare conatus sum. nam cum viderem huius nostræ ætatis homines in iisdem quæ præscæ, atque etiã in maioribus vitæ periculis versari, nobis tamen deesse vera illa ac generosa veterum antidota, ob ea quæ hodie in ijsce desiderantur legitima ac præclara simplicia medicamenta, tentare volui, possentne ex legitimis quæ habemus, composita fieri medicamenta, quæ illorum vicem pensarent. Feci id quidem magno meo labore, longoque rerum usu & experientia: sed affectus sim necne quod contenderam, ignoro. Illud certè fateri possem, ea semper mihi visa esse longè felicius theriacæ & Mithridaticæ antidoti vires præstare, quàm quæ passim hac tempestate, earundem nomine conficiuntur. Verùm non omisi, quin in hoc, sicut in reliquis aliorum potius esset iudicium, quàm meum. quandoquidem eo promerendi animo, quem semper habui, in nostris commentarijs in sextum Dioscoridis librum, non solum Dioscoridem ipsum, quantum potui, illustravi, sed quædam etiam antidota nobis inuenta descripsi. Cæterum cum veterem & vñtatum scriptorum morem secutus, patronum quærerem, qui hosce nostros commentarios ab invidis, maleuolis, & vitiligatoribus protegeret ac tueretur, cuius item amplitudine, authoritate, & splendore maiores illi quodammodo, grauiiores, & illustriores redderentur, prima omnium mihi occurrit Serenissima maiestas tua, Potentissime Rex FERDINANDE, vt quæ pro sua summa virtute atque immensa clementia, neminem vnquam iniquè depressum non extulerit, aut iniuria aliqua affectum non defenderit. Præterea mihi admodum condecens visum est, vt opus, in quo ea tractatur materia, cuius studio olim reges summopere delectati (quod suprà retulimus) perpetuum nomen sibi conciliarunt, non alio quàm Regi dicetur, ei que præsertim, quem miræ naturalis philosophiæ & rei medicæ voluptas tenet. Quarum facultatum dignitatem & excellentiam quia Serenissima Maiestas tua summo studio & amore prosequitur, ideo iure aliquo hos nostros commentarios illi dedicandos esse putavi. Illud quoque me adduxit, vt potissimum tuæ Serenissimæ maiestati eos nuncuparem, quòd ex compluribus audiuerim, eam hilari admodum vultu, summæque humanitate cuiusque conditionis hominum munera suscipere: id quod christianæ charitatis, ac religionis maximum præbet indicium. Huc etiã accedit immensa erga studiosos quosque Serenissimæ maiestatis tuæ benignitas, quæ eos perpetuò promouet, fouet, ac tuetur: sed maximè in medicos, quos ea præ cæteris (vt audio) præcipua benignitate complectitur, vtpote qui diuinam potius, quàm humanam profiteantur facultatem. Quod etiam apud Hebræos testatum reliquit Iesus Syrach di-

uino

Epistola nuncupatoria.

uino spiritu afflatus, dum sic inquit. Ab altissimo orta est medicina, & à rege accipiet munera. medicamenta de terra creauit dominus, & vir prudens non contemnit illa. disciplina medici exaltabit caput eius, & in conspectu magnatum collaudabitur. hæc ille. Porro illud omnibus mirum videri posset, quòd Serenissima maiestas tua, etsi in grauissimis negotijs, sui imperij functionibus, & curis dies ferè noctesque versetur, præsertim cum ea sola in vniuersa repub. christiana aduersus immanissimas Turcarum gentes iugiter firmissimum sese offerat propugnaculum, nunquam tamen præmittere soleat, quin succisuis quibusdam horis, uarijs scientiarum studijs vacet. Sed quid plura referam de tanto Rege? cuius nimirum religionem, iustitiam, prudentiam, pietatem, generositatem, liberalitatem, beneficentiam, humanitatem, ac probitatem admirantur non modò vniuersæ reipub. christianæ principes ac populi, sed aliæ quoque gentes, quando nullis hominum præconijs præclarissimæ animi illius dotes satis explicari possint. Reliquum igitur est, vt Serenissimam maiestatem tuam humillimè rogem, vt hoc sui mancipij munusculum, qualecunque sit, in seruitutis meæ testimonium lata fronte accipiat, foueat, & tueatur. Id quod eam maximè facturam spero. nam si munus hoc quasi chartaceum perpendet, exiguum quidem, nec tanto rege dignum videbitur: at si animum donantis respiciet, maximum dicet, atque hoc nomine me (quæ sua erit immensa benignitas) suo fauore complectetur. Quod si ipsa, vt spero, fecerit, præterquàm quòd quàm plurimos studiosos doctòsque viros excitabit, me quidem eò inuitabit atque alliciet, quòd maiora fortasse atque exoptatiora, quæ nostra in officina continuè cuduntur, diutius latere non sinam. Quæ si in lucem quandoque prodibunt, ea vniuersa posteritas Serenissimæ maiestati tuæ accepta feret. Cui non solum hæc, sed & meipsum, & seruitutem meam dedico, dono, ac voueo. Goritiæ, Calen. Ianuarij, M. D. LIIII.

Sereniss. Maiestatis tuæ

Mancipium

Petrus Andreas Matthiolus medicus.

PETRI